

## PHILOSOPHIA PRIMA

### INTRODUCTIO

428. **Declaratio tituli.** — Quae huc usque in Logica tradidimus, satis superque declarant ea Philosophiae principia, quae in ipsa scientiarum *adeptione* nos dirigunt, ut haec nimirum habeatur cum eo ordine et perfectione, quam ipsa natura humanae mentis exposcit. Haec, ut ut difficilia, ante alia tradi debuerunt, quia, ut initio [6] notavimus cum S. Thoma, *oportet primum scire modum sciendi quam scientiam ipsam*. Reliquum est, ut ad ea principia tradenda propius accedamus, quae non tam ipsum sciendi modum, sed scientiam ipsam rerum in mente progignunt. Id porro ad Metaphysicam proprio iure spectat, ut patet ex iis, quae de obiecto et dignitate nobilissimae huius disciplinae in Logica tradidimus [401, seqq.]. Non tamen omnia quae in Metaphysica disputari consueverunt, hanc dignitatem aequo iure merentur. Nempe, ut in aliis, sic etiam in huius disciplinae obiecto, duplex est consideratio, alia generalior et abstractior, alia vero specialior et magis concreta. Ad priorem spectat rimari eas notiones, quae universalissimae sunt, puta notionem entis, substantiae, causae, aliasque id genus, quae *praecisive immateriales* dicuntur [407], ut quae, tametsi in materia esse possint, eam minime exposcunt ad sui veritatem: tum vero etiam, quae referuntur quidem ad determinata entium genera, sed generali quadam

contemplatione, quae nimirum prima principia et quasi semina suppeditet eorum, quae de ipsis postea demonstrari debent aut possunt. Alterius vero considerationis est principia sic habita et declarata concreto rerum ordini magis determinate applicare, servato tamen gradu supremae abstractionis quae Metaphysicae propria est. Huius rei gratia, haec disciplina a non paucis in *generalem et specialem* haud immerito tribuitur. Nos priorem dumtaxat modo tractandam aggredimur, sic tamen ut nihil fere desideretur eorum quae in Stagiritae operibus sub Metaphysicae nomine circumferuntur. Elsi vero appellatio *Primae Philosophiae* toti Metaphysicae convenit [410], haud incongrue tamen tractationi, quae a nobis suscipitur, specialiori et quasi proprio titulo adiudicabitur. Exhibet nempe principia prima et fundamentalia, quae non modo in aliis scientiis, sed in reliquis etiam ipsis Metaphysicae partibus dominatum exercent.

429. **Materiae partitio.** — Quae porro huc referuntur ad quinque capita commode revocantur, quae propterea totidem Disputationum titulum nobis suppeditant. Primo itaque contemplanda venit ipsa notio entis universe ac generatim, prout omnia omnino in sua extensione complectitur, atque adeo a proprio modo essendi singulorum praecisione mentis abstrahitur. Hinc tractationi proxime affinis est altera, in qua de attributis agitur, quae entis, prout huiusmodi, quasi proprietates innascentur. Tum vero progrediemur ad duas primarias partitiones, quibus supradicta notio primo et per se obnoxia est, atque ita discutiemus generales notiones substantiae et accidentis, actus et potentiae. Postremo denique de causis entis universe disputabimus: si enim scientia quaevis proprii nominis sui obiecti causis investigandis adlaborat, aequum sane est ut Philosophia Prima id minime negligat, cum propterea sic nominetur, quia inter omnes naturales disciplinas primatum obtinet.

## DISPUTATIO I.

## DE OBJECTIVA RATIONE ENTIS

## SECTIO I.

*Quae sit ratio vocabulo entis significata.*

430. **Vocis interpretatio.** — *Ens*, si vim vocis spectes, idem significat ac *id quod est*, seu *existit*. Quare cum dicitur ex. gr., *Mundus est*, si haec propositio dialectice resolvatur, in hanc aliam commutabitur, *Mundus est ens*. Porro id duplici modo intelligi potest. Primo ita, ut significetur actuale exercitium eius, quod verbo substantivo exprimitur, nimirum actus ipse essendi seu existendi exercitus in natura rerum. Sic Deus ad manifestandam perfectionem suae naturae, quae non aliunde sed ex se habet ut actu existat, semetipsum Moysi definiuit: *Ego sum qui sum*, gr. *Ἐγώ εἰμι ὁ ὢν*. Quando vocabulum *ens* hac ratione accipitur, *participium* esse dicitur; in hoc enim participium cum verbo convenit, quod actum verbo significatum exprimit non per modum qualitatis, sed per modum actionis seu exercitii [105]. Secundo sumitur, ut purum *nomen*, cum ab actuali exercitio actus essendi abstrahit, ac solum denotat id, quod tali exercitio est idoneum, cui scilicet actus existendi in natura rerum vel competit vel saltem competere potest. Id ipsum cernere est in aliis nominibus participialibus, ut in voce *vivens*, quae si solum accipitur

ut nomen, non exprimit nisi rem, quae vel vivit vel saltem apta est vivere. Quare de homine, tametsi non existente quique propterea actu minime vivit, dicimus esse *substantiam viventem*. Similiter cum dicitis: *Alter mundus, a praesenti diversus, est ens*, nihil aliud significare intendis, nisi mundum huiusmodi talem esse, cui minime repugnat ut actu sit in natura rerum. Ceterum sive ut participium, sive ut nomen, vocabulum *ens* usurpetur, sedulo distinguere oportet duplicem rationem seu intentionem intellectam eo significari posse, nimirum *essentiam*, secundum quam res est, aut esse potest, et hoc ipsum *esse*, quo est aut esse potest. De utraque hac notione paulo uberius disserendum.

431. **Notio essentiae praeformatur.** — Ut entis, sic essentiae notio, ob sui simplicitatem et universalitatem, verbalem potius nominis interpretationem quam proprie dictam definitionem realem admittit: eaque huc spectat [97], non quo huiusmodi primordiales conceptus per notiora et simpliciora innotescant, sed ut moneatur quisque de qua notione sermonem habemus eamque a ceteris sedulo discernat. Iam age, triplex huius generis interpretatio seu descriptio in rem praesentem afferri potest, prout nimirum essentia spectatur in se ipsa, vel in ordine ad intellectum eam concipientem aut operationem motumque ab ea procedentem.

I. Primo modo itaque si consideretur, essentia dicitur *id secundum quod aliquid habet esse seu in determinato entis gradu constituitur*. Cum vero res creatae ex proprio genere propriae differentia id habeant, hinc S. Thomas (Opusc. *De Ente et Essentia*, c. 1.) essentiam rerum creatarum ita definit: *Essentia est illud per quod res constituitur in proprio genere vel specie*. Hac de causa vocatur etiam *forma*: forma quippe, generaliter et universe accepta, determinationem quandam vel specificationem actus denotare videtur. Propterea etiam appellatur *res*, ut notavit Angelicus. \* Simpliciter, ait, vocatur *res*, quod habet esse ratum et firmum in natura: et dicitur *res* hoc modo accepto nomine rei, secundum quod habet quidditatem vel

essentiam quandam; ens vero secundum quod habet esse. » (2. *Dist.* 37. q. 1. a. 1.)

II. Consideratur deinde essentia in ordine ad intellectum, cuius est proprium obiectum, et sic vocatur *quidditas*,  $\tau\acute{o}\ \tau\acute{i}\ \eta\upsilon\ \epsilon\acute{\nu}\nu\alpha$ , quia nimirum res est intelligibilis per suam definitionem; definitione autem explicatur quid res sit [91]. Hac ratione etiam essentia dicitur esse *id quod primo de re concipitur*. Id vero minime est sic intelligendum, quasi spectato ordine originis conceptionum nostrarum primo essentiam rei ac dein ipsiusmet proprietates et operationes intelligamus; inverso quippe ordine solemus in cognitionem rerum devenire. Quocirca allata descriptio veritatem habet, inspecto ordine nobilitatis obiecti: est enim de essentia rei id quod concipimus convenire illi per se primo eamque constituere in esse rei et talis rei; proprietates quippe, quae eidem rei attribuuntur, in essentia radicem habent.

III. Si denique describatur essentia rei cuiusque in ordine ad proprium ipsiusmet motum seu operationem, proprio nomine *natura* vocatur, pro eo quod est internum principium propriae operationis cuiusque. Huc spectat definitio ab Aristotele tradita (4. al. 5. *Metaph.* c. 4.); *Natura est substantia seu essentia eorum, quae in seipsis, quatenus ipsa sunt, motus principium habent*. Patet autem hanc postremam descriptionem convenire dumtaxat essentiae rerum substantialium. Accidentia quippe non sunt principium operationis simpliciter tale, primum scilicet unde operatio oriatur. Aggregata autem rerum accidentalium, cuiusmodi sunt res omnes artificiales, vel non habent in se ipsis principium motus, vel si quod habent, hoc minime eis convenit prout huiusmodi seu *prout ipsa sunt*: ex. gr. horologium habet in se principium motus, non prout est horologium, sed prout argenteo vel auro constat; specialem vero huius motus directionem, quae in eo consideratur, est ab extrinseco, h. e. ab arte. Ceterum cum ens simpliciter dictum non sit nisi substantia, ut suo loco patebit, allata descriptio, nedum utilis, sed optima est et prae ceteris opportuna ad hanc rem declarandam.

432. **Esse, sive essendi actus, qui voce entis formaliter significatur.** — Quomodum *essentia* vocatur res ipsa, quae ens est ac denominatur, ita *esse sive actus essendi* dicitur id quo formaliter habet ut ens sit ac nominetur, sicut *album* eiusmodi est ratione *albedinis*. Ut autem rite praeformetur conceptus, qui hac voce exprimitur, habenda sunt prae oculis, quae Angelicus Doctor tradit in 3. lib. *Sententiarum*. \* Dicendum, ait, quod secundum Philosophum 5. *Metaph.* tex. 6., *esse* duobus modis dicitur. Uno modo, secundum quod significat veritatem propositionis, secundum quod est copula: et sic, ut Commentator ibidem dicit, ens est praedicatum accidentale. Et hoc esse non est in re, sed in mente, quae coniungit praedicatum cum subiecto, ut dicit Philosophus in 6. *Metaph.* tex. 6... Alio modo dicitur *esse*, quod pertinet ad naturam rei, secundum quod dividitur secundum decem genera: et hoc quidem esse est in re, et est actus entis resultans ex principiis rei, sicut lucere est actus lucentis. Aliquando tamen sumitur *esse* pro *essentia*, secundum quam res est: quia per actus consueverunt significari eorum principia, ut potentiae vel habitus. \* (3. *Dist.* 6. q. 2. a. 2.) Ex qua doctrina haec patent.

I. *Esse* primo modo acceptum dicitur etiam de negationibus et privationibus, quae essentiam vere et proprie nullam habent: contra, si alio modo sumatur. Apposite rursus Angelicus. \* *Esse* dupliciter dicitur... Uno modo, secundum quod est copula verbalis significans compositionem cuiuslibet enuntiationis, quam anima facit; unde hoc *esse* non est aliquid in rerum natura, sed tantum in actu animae componentis et dividendis. Et sic esse attribuitur omni ei, de quo potest propositio formari, sive sit ens, sive privatio entis: dicimus enim caecitatem esse. Alio modo *esse* dicitur actus entis, in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura. \* (*Quolib.* 9. a. 3.) Eandem distinctionem, ut momenti non levis, pluries repetit S. Doctor, ex. gr. *Quolib.* 12. a. 1. ad 1., *Summa th.* 1. p. q. 3. a. 4. ad 2., q. 48. a. 2. ad 2., *Qq. Disp. De Pot.* q. 7. a. 2. ad 1.

II. *Esse*, posteriori modo acceptum, primario dicitur de ipso actu, quo essentia in seipsa sistitur in natura rerum, h. e. extra conceptum mentis, et (si creata sit) extra suas causas. Qui actus *existentia* vocari consuevit (1). Secundario vero, et per quamdam *analogiam*, attribuitur ipsi essentiae, quae huius actus exercitio est idonea. Id ipsum cernere licet in aliis nominibus, quae proprie significant actum, et transferuntur ad designandum rem, quae tali actu informatur vel informari potest. Sic *conscientiae*, *intelligentiae*, vel *scientiae* nomina, quae proprie significant ipsam operationem potentiae intellectivae, saepenumero usurpantur ad hanc ipsam potentiam eiusve habitum designanda.

III. Vocabulum *ens*, presse et in rigore sumptum, denominatur, non ab esse priori sensu accepto, sed altero dumtaxat. Ens enim, ut supra notavimus, est concretum designans rem seu essentiam cuius actus est esse. Transferitur autem per quamdam metaphoram seu similitudinem etiam ad designanda ea, quibus nullum aliud esse convenit nisi prout sunt obiectum mentis apprehendens. Ratio est, quam tradit S. Thomas. \* Simpliciter, ait, dicitur *res*, quae habet esse ratum et firmum in natura: et dicitur *res* hoc modo, accepto nomine rei secundum quod habet quidditatem vel essentiam quamdam; *ens* vero secundum quod habet esse... Sed quia res per essentiam suam cognoscibilis est, transumptum est nomen *rei* ad omne id, quod in cognitione vel intellectu cadere potest, secundum quod res a *reor* reris dicitur. Et per hunc modum dicuntur *res rationis*, quae in natura ratum esse non habent; secundum quem modum etiam negationes et privationes res dici possunt, sicut et *entia rationis* dicuntur.

(1) Veteres scholastici, ac nominatim S. Thomas, loco huius vocis, scilicet *existentiae*, malunt adhibere infinitum, seu nomen verbale *esse*. Nec certe immerito. *Existere* enim, si presse et in rigore accipiat, procedentiam indicare videtur ab aliqua causa: id porro non de quolibet esse, sed tantum de esse rerum creaturarum dici potest. Confer Foreellini in vocem *Existo*.

ut Commentator in 4. *Metaph.* dicit, (2. *Dist.* 37. q. 1. a. 1.) Sed de hac re plura paulo inferius.

IV. *Esse*, a quo ens denominatur, est conceptus plane simplex et irresolubilis in sua comprehensione. Hinc, prae-ter descriptionem seu potius interpretationem verbalem traditam, cuiusvis alterius definitivae notificationis est, incapax omnino. Atque hoc sensu accipiendum est, quod communiter dici consuevit, nimirum *entis* notionem esse simplicissimam omnino. Id nempe veritatem habet, prout *ens* formaliter accipitur pro ipso *esse* a quo denominatur. Quod si eius significatum adaequate sumatur, patet non esse conceptum plane irresolubilem: duo enim dicit, videlicet *essentialiam quae est*, et *esse quo est*. Utrum vero haec duo reipsa distinguantur nec ne, non est huius loci quaestio, sed alibi discutiendum.

433. **Negatio entis seu nihil.** — Quoniam intellectus se habet ad opposita, hinc ex praeformata entis notione sponte efflorescit notio sui oppositi. Hoc vocatur *nihilum*; est enim *negatio entis*. Differt porro simplex *negatio a privatione* entis, quia mera negatio denotat absentiam entis secundum seipsam, ex. gr. *non videre*, *non habere scientiam*: e converso *privatio* denotat carentiam alicuius in subiecto, quod natum est illud habere, puta *esse caecum*, vel *ignorans*. Quocirca privatio, quamvis proprie non sit ens, est tamen *entis*. Ceterum utrovis modo accipiatur carentia entis seu nihil, manifestum est huiusmodi notionem nullo modo posse in mente efflorescere, nisi supposita praevia notione entis cuius est negatio. Quoniam vero ens dupliciter accipi potest, *absolute* videlicet, prout omne genus et modum entis respicit, ac *relative*, qualenus in determinato aliquo genere vel modo consideratur, hinc negatio entis seu nihil dupliciter etiam usurpatur. Absolute sumitur, quatenus removetur omne id, cui ratio entis competere possit quocumque modo; relative vero, quatenus removet determinatam aliquam rationem vel modum entis. Porro non absolute sed relative dumtaxat accipere oportet negationem entis, quae enti attribuitur. Egregie in hanc rem Doctor Angelicus. "Nulla privatio, ait, tollit

totaliter esse, quia privatio est *negatio in subiecto*, secundum Philosophum. Sed tamen omnis privatio tollit aliquod esse; et ideo in ente ratione suae communitatis accidit, quod privatio entis fundatur in ente; quod non accidit in privationibus formarum specialium, ut visus et albedinis vel alicuius huiusmodi. Et sicut est de ente; ita est de uno et bono, quae convertuntur cum ente. Nam privatio boni fundatur in aliquo bono, et similiter remotio unitatis fundatur in aliquo uno. Et exinde contingit, quod multitudo est quoddam unum, et malum est quoddam bonum, et non ens est quoddam ens. Non tamen oppositum praedicatur de opposito, quia alterum horum est *simpliciter* et alterum *secundum quid*: quod enim secundum quid est ens, ut in potentia, est non ens simpliciter, id est actu; vel quod est ens simpliciter in genere substantiae, est non ens secundum quid, quantum ad aliquod esse accidentale. Similiter, quod est bonum secundum quid, est malum simpliciter; et e converso: et similiter, quod est unum simpliciter, est multa secundum quid, et e converso. (*Summa th.* 1. p. q. 11. a. 2. ad 1.)

## SECTIO II.

### *Quo modo notio entis respiciat sua inferiora.*

434. **Quaestio resolvenda.** — In tractatione praecedenti rationem obiectivam entis in sua comprehensione consideravimus. Discutiendum modo est de hac notione, prout spectatur in sua extensione. Exquirimus nempe modum seu habitudinem, qua respicit inferiora, de quibus praedicari potest, quae luceat analogia, quae in simplicissimo hoc conceptu latet, et sine cuius notitia multi errores enasci consueverunt.

435. **Praemittenda ad eius resolutionem.** — Ut vero

facilius quae sequuntur intelligantur, duo praemittere oportet.

I. Ex communi hominum sensu, id quod vocabulo entis concipimus, vere et proprie praedicatur de omnibus quaecumque extra conceptum seu fictionem mentis sunt aut esse possunt, et de omnibus differentis seu modis positivis eorumdem. Sic de Deo dicimus vere et proprie, *est ens*; similiter de omnibus rebus in rerum natura subsistentibus. Id ipsum etiam vere dicimus de iis omnibus, quae positive insunt rei cuique subsistenti, sive sint partes, sive accidentia. De his omnibus profecto praedicamus *esse* seu *inesse*, idque non solummodo quatenus *est* solius copulae verbali munere fungitur, sed prout exprimit actum vere et proprie exercitum extra mentem. Atqui ens ab huiusmodi esse denominatur, ut ante exposuimus. Porro negari non potest, id quod sic exprimimus, si consideretur secundum communissimam rationem, qua primo menti obicitur, uno aliquo conceptu tum formali tum obiectivo a mente comprehendi. Quaecumque enim quocumque modo sunt aut esse queunt, habent aliquam veram similitudinem vel convenientiam in ratione essendi; ac propterea possunt concipi et repraesentari sub ea praecisa ratione qua conveniunt, et sic conceptu uno secundum rationem aliquo modo *unam* intelligi vel apprehendi.

II. Conceptus superior dicitur *contrahi* in suis inferioribus per hoc quod mens distincte intelligit modum proprium quem habet in illis, prout scilicet invicem differunt. Haec porro contractio seu determinatio dupliciter contingit. Primo, per additionem differentiae vere et proprie talis; et hac ratione dividitur genus in suas species subjectivae, vel etiam species in individua. Quando id habetur, differentia contrahens non constituitur intrinsece per ipsam notionem contrahendam. Sic notio *animalis* contrahitur in homine per *rationalitatem*, in cuius definitione profecto non clauditur, quasi videlicet rationalitas sit aliqua animalitas. Id ipsum dicatur de differentia individuali, qua ex. gr. *humanitas* contrahitur in Petro, quippe quae secundum se considerata nequit dici homo vel hu-

manitas, sed differentia contrahens hominem et constituens Petrum. Alius modus contractionis seu determinationis vel divisionis existit, quatenus ope additae notiois concipitur expressiori modo id ipsum, quod antea confuse apprehensum erat. Exemplo esse poterit conceptio, qua *calor* universe conceptus contrahitur ad calorem *ut octo*. Reapse omnes gradus caloris tum simul tum seorsum sumpti non superaddunt novam realitatem formaliter distinctam a notionis caloris in genere, sed componendo calorem ut octo expressius et determinatius concipitur, prout est in re, id ipsum quod antea indistincte apprehendebatur. Exemplo etiam esse poterit cognitio de una eademque simplici veritate per medium probabile respectu cognitionis eiusdem veritatis per medium demonstrativum: quo exemplo passim utitur S. Thomas ad explicandos diversos gradus perfectionis in visione, quae habetur de Deo per essentiam.

#### THESIS I.

*Notio entis, si consideretur secundum communissimam rationem, qua primo a mente concipitur, praescindit quidem a notionibus propriis membrorum dividendum, non tamen sicut genus a suis differentis, sed solum prout conceptus confusus abstrahit a conceptu expressiori unius eiusdemque rationis obiectivae. Est proinde notio non univoca, sed analogica.*

436. *Probatio I. partis.* — Quod notio entis communissimi aliquo modo praescindat a propriis notionibus membrorum dividendum, puta Dei vel creaturae, substantiae vel accidentis, facile patet. Ut enim paulo ante declaravimus, haec notio per se praedicatur de his omnibus et singulis. Atqui id fieri non posset, nisi aliquo modo praescindat a particularibus differentis eorumdem; si enim ab aliqua non praescinderet, minime posset praedicari de

re, quae opposita differentia constituitur. Sic, si notio huiusmodi expresse diceret modum essendi substantiae proprium, non posset praedicari de accidenti, et vicissim. Similiter, si aliquid esse ens perinde significaret atque illud a se esse, de nulla re, quae sit ab alio, similis praedicatio cum veritate fieret.

Quod vero haec contractio non debeat intelligi per modum, quo genus descendit ad sua inferiora, sed unice per modum expressioris conceptus eiusdem obiectivae rationis, sic demonstratur. Nam differentia, quae generi additur, in sua formali ratione seu definitione minime includit notionem genericam. Ratio enim generica, et ratio differentiae, sunt partes essentiae, ac propterea neutra totam rei essentiam in sua formali ratione claudere potest. Atqui impossibile est, dari eiusmodi differentiam, quae rationem entis non includat. Ad rem S. Thomas. <sup>2</sup> Ostendit Philos. in 3. *Metaph.*, quod ens non potest esse genus alicuius. Omne enim genus habet differentias, quae sunt extra essentiam generis: nulla autem differentia potest inveniri, quae esset extra ens; quia non ens non potest esse differentia. ( *Summa th.* 1. p. q. 3. a. 5. ) Hinc manifeste concluditur, unicum modum, quo notio entis communissimi ad inferiora contrahitur, non esse per additionem quasi partis ad partem, sed per solam maiorem expressionem aut confusionem eiusdem obiectivae rationis ad diversos concipiendi modos. Apposite rursus Angelicus. " Illud quod primo intellectus concipit, quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit, est ens, ut Avicenna dicit in principio *Metaphysicae* suae. Unde oportet, quod omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens. Sed enti non potest addi aliquid quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi, vel accidens subiecto. Quia quaelibet natura essentialiter est ens; unde etiam probat Philosophus in 3. *Metaph.*, quod ens non potest esse genus. Sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Quod dupliciter contingit: uno modo ut modus expressus

sit aliquis specialis modus entis...; alio modo ita quod modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens. ( *Qq. Disp. Verit.* q. 1. a. 1. )

437. *Probatio II. partis.* — Sequitur ex praecedentibus. Analogia enim dicuntur, quorum nomen commune est, ratio vero nomine significata neque ex toto eadem neque ex toto diversa [31, seqq.]. Atqui talia sunt membra dividenda notionem entis, pro eo quod entia sunt ac nominantur. Ratio enim hoc nomine significata, prout singulis attribuitur est partim eadem, partim diversa: est nempe eadem prout est confuse apprehensa in communissimo entis conceptu; diversa autem prout exhibetur in notione, qua distincte concipitur modus proprius quem sortitur in suis inferioribus.

Ut haec ratio penitus intelligatur, et plenius simul explicetur modus analogiae, quae hic intervenit, praestat eam applicare ad praecipuas entis divisiones, quae in re praesenti considerari debent.

I. Ac primo quidem res facilis est si inspiciatur haec notio prout Deo tribuitur ac creaturis. Si enim consideretur expresse propria ratio, secundum quam Deus est ac nominatur *ens*, in eo reponitur quod Deus sit ipsum *esse subsistens*, h. e. quod habet esse plane identificatum cum sua essentia. Quare non potest concipi ut res, cui esse advenire concipiatur, sed ita habet esse ut essentialiter sit hoc ipsum esse quo est. Contra, cum notio entis praedicatur de creaturis, veram aliquam, rationis saltem, compositionem denotat inter essentiam, secundum quam in genere et specie ordinantur, et ipsum esse, quo acti sunt. Quare dicuntur entia, non quasi essentialiter sint ipsum esse, quo sunt, sed quia essentiam habent actui essendi idoneam. Ex hoc vero discrimine in ipsa essendi ratione, sequitur aliud, prout suo loco demonstrabitur. Quia enim Deus est suum esse, nulla ei essendi nobilitas defecere potest, sed totam essendi perfectionem sine limite aut mensura in se praehabet. Ex opposita ratione, creatura necessario confinis quibusdam limitari debet secundum determinatam perfectionem alicuius ge-

neris ac speciei. Apposite Suarez. \* Deus, eo quod sit ens simplicissimum, per essentialiam, et infinitum, includit essentialiter et unite omnem perfectionem entis. Unde ipsamet ratio entis, prout in Deo est, essentialiter includit rationem substantiae, sapientiae, iustitiae, atque adeo (quod praecipuum est) includit essentialiter ipsum esse omnino independentes et a se, cum tamen e contrario in creatura ipsamet ratio entis sit omnino dependens et ab alio, et in unoquoque ente est limitata ad certum perfectionis genus. Et ob hanc causam ratio entis dicitur esse in Deo per essentialiam, in creaturis vero per participationem: item dicitur esse in illo quasi totaliter, id est, quasi unite complectens totum ens, in aliis vero quasi divisa per partes. » (*Metaph.* D. 28. sect. 3. n. 8.)

II. Altera primaria divisio hic consideranda ea est, qua ens dividitur in *substantiam* et *accidens*. Iam vero analogia, quae in hac divisione habetur, sic praeclare exponitur a Doctore Angelico. \* Illud proprie, inquit, dicitur esse, quod habet ipsum esse, quasi in suo esse subsistens. Unde solae substantiae vere et proprie dicuntur entia: accidens vero non habet esse, sed eo aliquid est, et hac ratione ens dicitur; sicut albedo, quia ea aliquid est album. Et propter hoc dicitur in 7. *Metaph.* quod *accidens dicitur magis entis quam ens.* » (*Summa th.* 1. p. q. 90. a. 2.) Huc etiam facit egregium testimonium S. Doctoris, quod alibi exscripsimus [49].

III. Denique quod de accidenti diximus respectu substantiae, proportione servata dicendum venit etiam de omnibus partibus respectu totius, in quo subsistunt, ac propterea de intrinsicis essendi principii, unde entia creata constant. Nempe notio entis primario et simpliciter non dicitur nisi de toto, quippe cum ipsum primario et simpliciter sit id quod est, seu habet esse: dicitur autem secundario et per habitudinem ad totum de partibus seu principii, unde constat, non quia ipsa sint, sed quia ipsis totum est. Apposite rursus Angelicus. \* Esse attribuitur alicui dupliciter. Uno modo ut sicut ei, quod vere et proprie habet esse vel est: et sic attribuitur soli sub-

stantiae per se subsistenti: unde quod vere est, dicitur substantia in 1. *Physicorum* (tex. 27). Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia, sive formae substantiales, aut quaelibet partes, non habent esse ita ut ipsa vere sint, sed attribuitur eis esse. Alio modo id est, ut quo aliquid est; sicut albedo dicitur esse, non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea aliquid habet esse album. » (*Quolib.* 9. a. 3.) Confer etiam quae S. Doctor habet (*Summa th.* 1. 2<sup>o</sup> q. 55. a. 4. ad 1.).

438. *Coroll. I.* — *Analogia entis est secundum esse et intentionem, seu per denominationem intrinsecam extremorum.* — Quaecumque enim sunt, in eo quod sunt, conveniunt non modo in voce entis, sed etiam in conceptu hac voce expresso, ut ex praemissis patet. Id autem minime contingit in analogia, quae est secundum intentionem tantum, seu per denominationem extrinsecam, ut suo loco exposuimus [35]. Quod si ulterius quaeratur, num haec analogia, quae de agimus, dicenda sit simplicis proportionis, vel proportionalitatis, videtur utrumque esse verum, ut scite observat Petrus a Fonseca (4. *Metaph.* c. 2. q. 1. sect. 7.). Et re quidem vera, ratio entis absolute et primario secundum totum, ut ita dicam, suam intensivam perfectionem in Deo invenitur ac plane absolvitur; in creaturis autem relict, prout suo modo, tametsi deficienter, imitantur primum essendi principium. Talis porro est analogia *proportionis*, effectus videlicet ad principium et causam. Et sic docet expresse Angelicus (*Summa th.* 1. p. q. 13. a. 5.). Id ipsum, proportione servata, dicatur de notione entis prout dicitur de substantia vel toto, ac de accidente vel partibus. Hoc enim quod est *habere esse* (quae est ratio voce entis significata), simpliciter et absque addito dicitur primario de substantia ac toto, ac secundum quid et in ordine ad substantiam vel totum praedicitur etiam de accidentibus vel partibus. Potest praeterea haec analogia vocari etiam *proportionalitatis*, secundum alium considerationis modum. In hoc enim quod plura vocantur entia, puta Deus et creatura, invenitur aliqua ratio *proportionaliter una*, quatenus vi-



delicet unumquodque habet modum essendi sibi commensuratum. Neque obstat, quod talis proportionalitas inveniatur etiam inter res univocas, quemadmodum est proportionalitas dupli, quae habetur inter quatuor et octo ex una parte, ac inter duo et quatuor ex alia. Huiusmodi enim proportionalitas ideo est univoca, quia in utroque extremo ratio dupli est *plane uniformiter* eadem; contra, habitudo cuiusque ad suum esse non est uniformiter eadem, tametsi non plane diversa. Hinc S. Thomas hunc etiam analogiae modum, proportionalitatis videlicet, agnoscit in notione entis (Qq. Disp. *Verit.* 2. a. 11.). (1)

439. *Coroll. II.*— **Qualis sit analogia proportionis creaturae ad Deum et accidentis ad substantiam prout dicuntur entia.** — Praedicta analogia, prout est proportionis inter Deum et creaturam, et substantiam eiusque accedens, in hoc convenit quod utraque sit analogia *non plurimum ad tertium, sed unius ad alterum* [32]. Est tamen utrobique discrimen ingens, ac valde notandum, quod sic exponit Angelicus. \* Dicitur ens de Deo et de creatura: sed per prius de Deo et per posterius de creatura: licet verius sit, Deum esse super omne ens, quam esse ens, sicut dicit Dionysius et Damascenus. Propter hanc tamen analogiam *non sequitur ens esse prius utroque*, Deo scilicet et creatura, *sicut prius est substantia et accidente, de quibus analogice dicitur*. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod quando tota ratio analogi reperitur in altero, de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo

(1) Diligenter hoc loco adverte, praedictam analogiam, siye consideretur per modum simplicis *proportionis*, siye consideretur per modum cuiusdam *proportionalitatis*, semper esse denominationem intrinsecam ac secundum esse, ut patet aperte, tum ex ratione quam attulimus, tum ex dupli testimonio, quod modo citavimus ex Angelico Doctore; utrobique enim expresse S. Thomas loquitur de praedicatione, quae est propria, non vero de ea, quae fit secundum metaphoram, metonymiam, vel synecdochem. Quare non approbamus in hac parte quod docet Caietanus in suo, ceteroquin egregio, opusculo, cui titulus *De analogia nominum*.

reperitur, tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subiectum. Cum vero tota ratio praedicati in neutro subiectorum est, necesse erit praedicatum prius esse et communius utroque subiecto: sicut tota ratio entis non salvatur in substantia, quae est genus primum, cum ens divinum non includat. (Opus. 39. a. 42. *De Natura Generis*, c. 1.)

440. *Coroll. III.*— **Quo sensu dicatur, creaturas vel accidentia vere et proprie non esse.** — Intelligitur denique ex dictis, quo pacto accipi debet quod apud S. Thomam, et etiam apud Ecclesiae Patres quandoque invenitur, videlicet solam substantiam, immo nonnisi Deum *vere et proprie* esse. Audiatur ipse Angelicus. \* Cum dicitur aliquid, ait, *proprie* convenire alicui, hoc potest intelligi dupliciter. Aut quod per proprietatem excludatur omne extraneum a natura subiecti, ut cum dicitur proprium hominis esse risibile, quia nulli extraneo a natura hominis convenit: et sic esse non dicitur proprium Deo, quia convenit etiam creaturis. Aut secundum quod excluditur omne extraneum a natura praedicati, ut cum dicitur, hoc *proprie* esse aurum, quia non habet admixtionem alterius metalli: et hoc modo esse dicitur proprium Deo, quia non habet admixtionem divinum esse alicuius privationis, vel potentialitatis, sicut esse creaturae. Et ideo pro eodem in littera sumitur proprietas et veritas: verum enim aurum dicimus esse quod est extraneo impermixtum. (1. *Dist.* 8. q. 1. a. 1.)

### SECTIO III.

#### *De axiomate contradictionis.*

441. **Pronuntiata quae in ratione entis proxime inveniuntur.** — Ratio *entis*, si ad intelligentiam compositam seu indicantem referatur, tria principia complexa suppe-

ditat, videlicet *identitatis, contradictionis, et exclusi mediæ*. Primum sic enuntiatur: *Quod est est*; eoque indicativo modo exprimitur, quod in ipsa simplici apprehensione entis continetur, seu, quod perinde est, definitio entis de definito prædicatur. Alterum principium sic exhibetur: *Ens excludit non ens*. Vocatur principium *contradictionis*; exhibet enim exclusionem seu oppositionem omnium maximam et primam, quæ est oppositio contradictionis, in qua ceteræ omnes fundantur. Tertium denique excludit medium a prædicta oppositione, et sic effertur: *Quodlibet aut est aut non est*. Iam age, hoc postremum pronuntiatum formaliter vel est idem cum præcedenti, vel in eo continetur. Si enim daretur aliquid, cui non competeret neque esse neque non esse, illud profecto eo ipso esset et non esset, ut patet ex terminis. Principium vero identitatis, etsi naturæ ordine principium contradictionis antevertit, ut affirmatio negationem, vix tamen ac ne vix quidem in scientiis usui esse potest: siquidem minor, quæ subiungenda foret, idem prorsus exprimeret quod illatio, ut si quis ita ratiocinaretur: *Quod est est, Alqui tu es, Ergo es*; quod certe inutile est ac nugatorium. Quare unice discutiendum est effatum *contradictionis*, ac videndum quo pacto recipi debeat commune philosophorum placitum, quo primatus absolutus in ordine intelligibilium principiorum tali pronuntiato adiudicari solet.

442. **Principii contradictionis plenior explicatio.** — Priusquam propositam modo questionem resolvamus, terminos, qui in hoc effato adhibentur, distinctius oportet explicare.

I. Vox *ens* in hoc pronuntiato, quatenus opponitur *non enti*, accipienda est sensu eodem. Propterea cum dicitur, *Nullum ens est et non est*, seu *Ens excludit non ens*, sensus hic est: *Quidquid est, sub ea ratione, sub qua est, excludit non esse*. Nihil enim prohibet, ut ante diximus [433], ens eiusque negationem sub diversa ratione simul coniungi. Ad hoc porro exprimentum, solet adhiberi vox *idem* in hoc effato, dicendo videlicet, *Idem non est et non est*.

II. Copula verbalis in prædicto effato accipitur et

accipienda est non *ampliativè* sed cum *statu* [61]. Nimirum ex vi communissimi conceptus entis exigitur quidem, ut aliquid *dum est*, sub ea ratione, sub qua est, nequeat non esse: sed potest optime fieri, ut *successivè* aliquid modo sit, modo non sit quod antea erat: ut patet in iis quæ contingenter alicui conveniunt. Ad id exprimentum adhibetur particula *simul*, ac dicitur: *Idem non simul est et non est*. Quare perperam Emmanuel Kantius hanc notionem ab hoc principio excludendam esse putavit, eique hanc aliam formulam surrogavit: *Prædicatum, quod rei repugnat, illi non convenit* (*Log. transcend. lib. 2. c. 2. sect. 1.*).

III. Cum prima intelligentiæ principia sint necessario vera, ac necessario videantur esse per se vera [251, 280, 300], potest huiusmodi necessitas etiam in hoc effato enuntiari, et sic formam modalis propositionis induet, quemadmodum fert vulgata formula, quæ exprimitur, videlicet: *Nequit idem simul esse et non esse, seu, Non contingit idem simul esse et non esse*.

IV. Hoc principium si Logice enuntiatur, in hoc aliud convertitur sic: *Non potest de eodem esse simul affirmatio et negatio vera*. Sed Logice prolatum, posterius est seipso prolato Metaphysicæ; propositio enim vera est aut falsa, quia res est vel non est, non e converso.

## THESIS II.

*Perculatum contradictionis effatum merito tanquam primum cognitionis principium habetur, non quasi omnis alia veritas in eo virtute contineatur, vel ex eo proprie demonstrari debeat aut possit, sed propterea quod in omnibus aliis latet implicitum, eorumque veluti formulam generalem exhibet, in quam ultimo et indeterminate revocentur.*

443. **Probatio I. partis.** — In hac priori parte

excludimus duplicem falsum intellectum, quo primatus in ordine intelligibilium principiorum huic pronuntiato adiudicaretur.

I. Primo itaque id ita intelligi potest, quasi omnis alia veritas in uno principio contradictionis, tanquam in semine, contineretur, atque adeo sola eiusdem explicatione ab humana mente conceperetur vel concipi posset. Id autem est plane absurdum. Effatum enim contradictionis, si ad speciales entis rationes, vel ad ordinem actualitatis referatur, non exhibet nisi sensum hypotheticum. Sic, si applicetur ad naturam hominis, hoc tantum edicit: *Si aliqua res est homo, ei repugnat non esse hominem*. Similiter si de rebus existentibus, qua talibus, enuntietur, hunc sensum fundit: *Si quid existit, dum existit, nequit non existere*. Atqui est plane evidens, tale pronuntiatum, quantumcumque explicetur, per se esse plane impar ad omnes veritates inde evolendas: nulla enim propositio conditionalis, quamdiu conditio non impleatur, evadit absoluta. Praeterea, ut suo loco demonstravimus [421, seqq.], existit ordo veritatum, quae ex solo lumine naturalium principiorum intelligi ac demonstrari nullo modo possunt. Ergo a fortiori id negari debet de solius effati contradictionis lumine.

Neque obstat, quod notio entis, cui hoc pronuntiatum immititur, utpote omnium communissima, ad omnia omnino se protendat. Ut enim ante declaravimus, communitas huius notionis non est per modum *actus perfecti* ad imperfectos, ut se habet ex. gr. senarius ad numeros minores sub eo contentos; sed est per modum notionis *maxime potentialis* respectu suorum inferiorum, a quorum differentiis praescindit. Etsi vero per actum perfectum possunt cognosci actus imperfecti, non tamen sufficit notio potentialis ad propriam cognitionem habendam eorum quae sub se continet; quemadmodum qui cognoscit animal, non per hoc cognoscit hominem vel brutum, nisi cognitione confusa, prout videlicet assimilantur in animalitate.

II. Alius sensus, quo falso attribueretur primatus in

ordine principiorum huic effato, in hoc est, ut cetera omnia principia ita ab eo pendere dicantur, quasi sola huius pronuntiato evidenti demonstratione proprie dicta probari debeant, vel saltem possint. Excluditur hic intellectus imprimis ex modo dictis. Conclusio enim virtute continetur in praemissis, unde demonstratur. Atqui nulum datur axioma, in quo solo ceterae omnes veritates virtute contineantur, sicut ante probatum est. Praeterea haec opinatio demonstrationem cuiusque generis efficeret impossibilem. Ad omnem enim demonstrationem requiruntur saltem binae praemissae, quo fiat comparatio extremorum cum medio. Ergo si possibilis est demonstratio, nequit dari unum tantum principium, ex quo cetera omnia demonstrantur. Idque verum est, non solum de directa seu ostensiva, sed etiam de indirecta demonstratione, per reductionem videlicet ad impossibile. Cum enim cetera principia per principium contradictionis indirecte demonstrantur, praesupponitur semper, ab adversario concedi notionem subiecti quo de agitur. Sic, nisi quis in antecessum fateatur de toto eius definitionem, nominalem saltem, frustra quis eius pervicaciam convincere conaretur ope principii contradictionis, ostendendo quod nisi totum sit maius sua parte, admittere oporteret idem esse totum et non totum, seu idem simul esse et non esse.

444. *Probatio II. partis.* — Hic asserimus legitimum sensum, quo dignitas primi principii in ordine humanae cognitionis huic effato, prae ceteris axiomatibus, convenit. Primo itaque est eiusmodi, ut eius veritas implicita sit in omnibus aliis, ideoque si negetur vel in dubium revocetur, eo ipso veritas omnium aliorum repudianda est. Exhibet praeterea quamdam veluti formulam generalem obiectivae necessitatis seu certitudinis, qua gaudent cetera quaecumque principia humanae cognitionis. Porro utrumque facile sic ostenditur.

I. Notio entis implicita est in omnibus aliis notionibus, utpote omnium prima ac communissima. Atqui sic se habent ad invicem principia complexa, seu intelligentiae compositae, quo modo se habent principia seu notiones

incomplexae intelligentiae simplicis seu simpliciter apprehendendis. Ergo in omnibus aliis principis complexis laet implicitum illud, quod ex ipsa ratione incomplexa entis proxime enascitur. Atqui tale est effatum contradictionis. Ad rem S. Thomas. " Illud, quod primo cadit sub apprehensione, est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicit Philosophus in 4. *Metaph.* ( *Summa th.* 1. 2. q. 94. a. 2.) Nihil mirum proinde, si tale sit ut quisquis illud negaverit aut in dubium revocaverit, nihil amplius affirmare poterit, immo se ipse falsificabit: si enim contingit idem simul esse et non esse, profecto qui id dicit, negabit simul et non negabit, dubitabit et non dubitabit; adeoque dicendo se negare, non negabit, et dicendo se dubitare, non dubitabit.

II. Ad hoc principium praeterea universim revocatur obiectiva certitudo ceterorum, quasi ad communem formulam. Reducitur enim omnis obiectiva certitudo veritatis ad ipsius necessitatem [224]; necessitas autem ad oppositi impossibilitatem [146]. Atqui impossibilitas quaelibet ultimato resolvitur in impossibilitatem contradictionis. Ad rem Matthaeus Liberatore. " Formula generalis ultima atque indeterminata, in quam resolvitur certitudo obiectiva cuiuslibet alterius veritatis, ea est, quae exprimit *necessariam* (vel absolute vel hypotheticè) *connexionem vel identitatem entis cum seipso*; quae recte sic exprimitur: *A certo est A*, vel *A necessario est A*. Atqui necessaria connexio vel identitas entis cum seipso idem prorsus est ac necessaria repugnantia entis cum non ente; quae exprimitur per contradictionis effatum. Ergo etc. In hoc syllogismo prima tantum praemissa declaratione eget; cetera per se patent. Eam vero sic declaramus. Certitudo obiectiva cuiusque veritatis consistit in *necessaria aliqua identitate*. Id evidenter patet in iudiciis affirmativis; in quibus revera nihil aliud assertur nisi identitas quaedam,

nempe subiecti cum praedicato, ex. gr. *homo est mutabilis*, nempe identificatur cum re aliqua mutabili. Iudicia autem negativa, quoad rem, optime resolvi possunt in affirmativa, transferendo negationem in praedicatum; ut patet in hoc iudicio: *Mundus non est aeternus*, quod sic verti potest: *Mundus est non aeternus*. Atqui nulla est identitas, nisi rei cum seipso. Ergo, etc. ( *Instit. Philos. Log.* 2. p. n. 128. edit. 1881.)

Inde vero minime consequens est, nihil nos per cetera iudicia cognoscere. Quare consulto addidimus in ipsa thesis enuntiatione vocem *indeterminate*. Ut enim praelandatus auctor scite observat loco citato. " Sicut ex eo, quod habemus ideam entis, non sequitur nos aliis ideis non indigere, ita ex eo quod cognoscamus effatum contradictionis, non sequitur nos nil novi cognoscere in ceteris iudiciis. Sicut autem, licet aliis ideis indigemus, hoc non prohibet, quominus idea entis habeatur ut lex, a qua temperatur mens nostra in ideis omnibus concipiendis; ita, licet per cetera iudicia semper aliquid novi cognoscamus, hoc non prohibet, quominus effatum contradictionis sit lex generalis, qua eadem mens temperatur in ceteris iudiciis proferendis. „

### *Solvuntur difficultates.*

445. *Obiectio I.* — Ut cognitio sit vera, obiecto suo respondeat necesse est. Ergo primum principium cognitionis debet esse primum principium in essendo. Constat autem, solum Deum esse primum principium in essendo absolute et simpliciter. Ergo Deus, non vero effatum contradictionis, dignitatem primi principii cognitionis meretur.

Respondeo. *Dist. antec.* Quoad id, quod cognoscitur, quatenus obiectum, quod cognoscitur, debet habere id quod de eo cognoscitur vel enuntiat, *concl.*; quoad modum cognoscendi, quatenus modus rei in suo esse debet esse sicut modus cognoscendi rem, *neg.*

Etiam in hac obiectione apparet commune vitium,

unde tot tanque diversi et inter se oppositi errores enati fuerunt [348, 356]. Quocirca etiam in re praesenti sedulo notanda est conformitas requisita ad veritatem cognitionis. Ea profecto non in eo posita est, quod id quod primo cognoscitur a mente, et unde ceterae aliae cognitiones dimanant, sit etiam primum in natura rerum, unde haec habeant ut subsistant et operentur [387]. Requiritur proinde dumtaxat, ut mens asseveret esse quod est, vel non esse quod non est. Hinc revera falleretur mens in hoc negotio, si enuntiaret esse absolute primum in natura rerum, quod est primum in ordine suorum intelligibilium principiorum. Ceterum minime negandum est, huiuscemodi diversitatem prioritatis inter ordinem cognitionis ac ordinem realitatis, non haberi sine imperfectione aliqua in mente quae sic cognoscit [389]. Sed id unum inde consequens est, videlicet humanam scientiam non esse scientiam absolutam, seu omnibus numeris perfectam, quod certe verissimum est. Quamobrem cum diximus effatum contradictionis esse simpliciter primum, expresse addidimus, id intelligendum esse respectu *scientiae humanae*, quod etiam sapienter notavit Suarez (*Metaph.* D. 3. sect. 3. n. 9.).

**Obiectio II.** — Non est primum illud principium, quod potest ulterius probari. Atqui potest ulterius probari hoc principium, cum fuerit de facto probatum ab Aristotele in toto fere 4. lib. *Metaph.* contra Protagoram et Heraclitum.

Respondeo. *Neg. min.* Philosophus lib. cit. merito dixit, hoc principium a nemine fuisse in interiori ratione negatum; quod si quis illud negare ausus fuerit, aliud ore dixit, aliud mente tenuit. Quae autem ibi affert in favorem huius effati, non eo spectant profecto, ut ostensive vel elenchice illud probetur, sed tantum ut declaret et appareat quot incommoda deglutire debet, qui illud negare vellet, atque adeo adversarius irrisui aliorum merito exponatur et de se erubescat. Confer quae in Logica diximus [225, seqq].

**Obiectio III.** — Effatum contradictionis est ne-

gativum, ac modale. Atqui propositio negans praesupponit affirmantem, et modalis propositionem de inesse. Ergo immerito tanquam primum cognitionis effatum exhibetur.

Respondeo. *Transmissa mai. et min., dist. consequens.* Quatenus effatum, *Nequit idem simul esse et non esse*, non est prima propositio seu complexio, quam format intellectus, *conc.*; quatenus ex eo minime dependet veritas et certitudo aliorum principiorum, quemadmodum exposuimus, *neg.*

Ut ante notavimus, quamvis affirmatio entis de seipso, quae principio *identitatis* enuntiatur, naturae ordine antevertat negationem seu distinctionem entis a non ente, quae principio contradictionis exhibetur, tamen in *linea demonstrationis* inutilis fere est ob tautologiam sermonis. Quare apposite Suarez in propositae obiectionis solutionem observat, \* fieri quidem posse ut aliqua affirmativa propositio, quatenus simplicior est, quam negativa, prior sit, quam illa, ordine generationis seu compositionis, et tamen quod in ratione veritatis per se notae non sit tam manifesta neque aequae prima. Et ita dici potest de illo principio. Nam, licet tota veritas eius fundetur in natura ipsius esse, quod per se excludit non esse, tamen hoc ipsum per illud principium, quamvis negativum, explicatur evidentissime et aptissime ad fundandas demonstrationes deducentes ad impossibile. » (*Metaph.* D. 3. sect. 3. n. 10.) Id ipsum dicatur, si consideretur hoc principium ut modale. Ceterum, ut patet ex explicatione superius tradita, potest enuntiari veritas eiusdem principii absque forma modali, puta si dicatur: *Nullum ens, prout est, simul est et non est.*

**Obiectio IV.** — Certitudo quaelibet fundatur in facto propriae existentiae, et in evidentiali infallibilitate. Atqui factum propriae existentiae hoc principio continetur, *Cogito, ergo sum*; evidentiali autem infallibilitas hoc alio, *Quod evidens est, verum est*. Ergo primatus in ordine intelligibilium principiorum soli effato contradictionis male adimicatur.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de certitudine obiectiva, *neg.*; si sermo sit de certitudine subiectiva vel formali, *subdist.*; si evidentia et propria existentia sumantur per modum conditionis praerequisitae, *conc.*; si utraque accipiatur per modum enuntiabilis, *neg.* *Distinguo minore.* Quatenus accipiuntur per modum enuntiabilis, *conc.*; quatenus accipiuntur, ut conditio vel facti praerequisitum, *neg.* *Dist. pariter conseq.* In ordine certitudinis obiectivae, *neg.*; respectu certitudinis subiectivae vel formalis, *conc.*

Ut solutio tradita intelligatur, observandum est dupliciter accipi posse tum evidentiam eiusque veracitatem, tum propriae existentiae factum. Primo ita, ut evidentia designet generalem conditionem seu qualitatem intrinsecus inhaerentem facultati cognoscitivae, qua istius iudicium normam accipit ne a veritate deerret, ut in secunda Logicae disputatione declaravimus: existentia vero designat primordiale factum praerequisitum ad omnem operationem et cognitionem, quatenus nihil operatur nisi in quantum est. Secundo utrumque accipi potest per modum complexi principii, quod a mente enuntietur, dicendo ex. gr. *Ego sum*, vel *Quod evidens est, verum est*. Si hoc modo sumantur, tantum abest, ut veritas et certitudo obiectiva effati contradictionis in altertro principio modo enuntiatio initiatur, quin potius utrumque, sicut cetera, ab eo essentialiter dependent. Veritas enim principii, quo dicimus, *Ego sum*, propterea rata est ac firma, quia nihil, dum est, potest non esse: ac similiter eatenus cognitioni evidenti repugnat falsitas, quia id tantumdem esset ac ipsam naturam cognitionis pervertere, seu cognitionem producere, quae non sit cognitio. Sin vero tum evidentia tum existentia priori modo sumantur, scilicet ut conditiones necessario praerequisitae ad assensum certum, tunc profecto ab utraque simul et a veritate obiectiva principii contradictionis, tanquam a causa, dependet certitudo tum formalis tum subiectiva cuiusque iudicii. Ratio evidens est, quia utraque certitudo est communis veluti partus cognoscens et cogniti. Ex parte obiecti influunt ipsa enuntia-

bilis necessitas, quae tandem in veritatem principii contradictionis resolvitur: ex parte vero subiecti influunt facultates cognoscitivae, quarum suprema regula est evidentia; hunc vero influxum exercere non possent nisi de facto existeret subiectum, quod his facultatibus ornatur.

## SECTIO IV.

### *De ente rationis.*

446. **Quid veniat hoc nomine.** — Antequam absolvamus praesentem disputationem, operae pretium est paulisper declarare, quid proprie vocetur *ens rationis*, quae eius causae, et quot modis illud haberi contingat. Haec enim conferunt ad hoc, ut accuratius ac penitus praeformetur notio entis realis, cuius rationem huc usque exposuimus. Est itaque observandum, prout nitide declarat Suarez (*Metaph. D. 54. sect. 1. n. 5. 6.*), triplicem esse habitudinem alicuius ad rationem. Prima est *effectus ad causam*, a qua procedit vera et reali efficientia, cuiusmodi sunt actus seu operationes intelligendi et discurrendi. Secunda est habitudo ad rationem ut *formae ad subiectum*, in quo inhaereat per modum accidentis, et haec habitudo invenitur in omnibus perfectionibus, quae intellectui inhaerent, sive ab illo fiant, sive aliunde proveniant seu infundantur. Tertia denique est habitudo ad rationem *per modum obiecti*, qualis habetur in qualibet intentione intellecta seu conceptu obiectivo. Talis porro intentio seu conceptus quandoque habet vel habere potest verum et positivum esse in natura rerum; quandoque vero, tametsi a ratione consideretur, in re nullum verum et positivum esse habet aut habere potest, cuiusmodi sunt negationes et privationes, de quibus affirmativa propositio formatur. Iam age, ens rationis vere et proprie non est, nisi illud, quod hoc ultimo modo dicitur, quia videlicet

est aliquo modo in ratione, hoc est obiective, et non habet alium nobiliorem vel magis realem essendi modum, unde possit ens vocari. Quare recte sic defini potest: *Quod habet esse obiective tantum in intellectu*, sive ad mentem Angelici (*Summa th. 1. 2<sup>o</sup> q. 8. a. 1. ad 3.*): *Quod non est ens in rerum natura, sed accipitur ut ens in ratione* (1).

447. **In quot membra ens huiusmodi recte distribuatur.** — Ex dictis facile intelligitur, quoniam sit recta et sufficiens partitio entis sic inspecti. Dividitur itaque in haec duo membra. Primum complectitur ea, quae in natura rerum nec esse nec fundamentum habent aut habere

(1) Si quaeratur, cuius rei gratia tale genus entium a mente fingatur, eam optime eximus Doctor sic declarat simul assignando triplicem modum quo id habetur. \*Prima est, ait, cognitio quam intellectus noster consequi conatur de ipsis etiam negationibus, et privationibus quae nihil sunt. Cum enim obiectum adaequatam intellectus sit ens, nihil potest concipere nisi ad modum entis, et ideo dum privationes aut negationes concipere conatur, eas concipit ad modum entium et ita format entia rationis . . . Est secunda causa proveniens ex imperfectione nostri intellectus. Cum enim aliquando non possit cognoscere res prout in se sunt, eas concipit per comparisonem unius ad aliam, et ita forma relationis rationis, ubi verae relationes non sunt. Sicut enim quia non potest unico conceptu distincte cognoscere totam perfectionem unius rei simpliciter, eam paritur diversis conceptibus, et sic format distinctionem rationis, ita dum inter se comparat ea, quae in re ipsa relata non sunt, relationem rationis format. Indiget autem saepe ea comparisonem, quia non potest concipere rem prout in se est; vel certe quia modo sibi accommodato vult explicare id, quod est in re sine tali modo, ut etiam praedicat idem de seipso, dicens esse idem sibi. Atque hi duo modi fundantur aliquo modo in rebus, vel ordinantur ad cognoscendum aliquid, quod vere de rebus ipsis dici potest. Est tamen tertia causa proveniens ex quadam foecunditate intellectus, qui potest ex veris entibus ficta conficere, coniungendo partes, quae in re componi non possunt, quomodo fingit chimeraem, aut quid simile, et ita format illa entia rationis, quae vocantur impossibilia, et ab aliquibus dicuntur entia prohibita. In his autem conceptionibus, non fallitur intellectus, quia non affirmat ita esse in re, sicut ea concipit conceptu simpliciter, in quo non est falsitas. (loc. cit. num. 8.)

possunt; et haec sunt impossibilia, ut circulus quadratus, de quibus sola interpretatio nominis dari potest. Alterum vero complectitur, quae accipiuntur quidem in sola ratione per modum entium, sed adest fundamentum aliquod ad sic concipiendum in ipsa rerum natura. Huc pertinent negationes, privationes, ac respectus rationis, identitatis v. g. rei secum ipsa. Hic vero diligenter animadvertite negationes et privationes dupliciter a mente concipi posse. Primo *negative* tantum, concipiendo ex. gr. in oculo non esse potentiam visivam; et sic nullum exurgit ens rationis, quia tunc negatio vel privatio non accipitur per modum entis, sed per modum non entis. Quare supra diximus, tum privationes et negationes inter entia rationis recenseri, cum de ipsis *affirmativa* propositio formatur. Quocirca concipi possunt secundo *positive*, cum videlicet ea accipiuntur per modum cuiusdam qualitatis, quae rem afficiat, quemadmodum ex. gr. tenebrae apprehenduntur, ut dispositio quaedam aëris, et spatium imaginarium quasi sit expansio quaedam reipsa existens: et tunc proprie concipitur aliquid per modum entis, quod tale nec est nec esse potest, ac propterea dicitur ens rationis. Id ipsum sapienter observat Suarez quoad denominationes quae rebus attribuuntur ex forma extrinseca, ut est ex. gr. esse cognitum, volitum, honoratum et similia. \*Hae denominationes, ait, possunt esse duplices, scilicet aut tantum denominationes extrinsecae, et sic dum intellectus directe cognoscit rem esse visam, quatenus visio existens in oculo ad eam terminatur, per hanc cognitionem nullum ens rationis format aut cognoscit. Alio modo fiunt hae denominationes respective, quia intellectus noster non satis concipit aliquid ut terminum relationis alterius ad ipsum, quin statim concipiat illud per modum correlativi, et tunc concipitur aliquid per modum entis respectivi, in re sic denominata, et quia illud non est ens reale, nec relatio realis, fit consequenter ut sit ens rationis. (loc. cit. sect. 2. n. 5.)

448. **Num Deus formet aut cognoscat id genus entium.** — Intelligitur etiam ex dictis, Deum perfectissime

quidem cognoscere quicquid nos vere cognoscimus, cum talia entia efformamus: ipse enim comprehendit omnes actiones humanae rationis, ac propterea cognoscit quaecumque his actibus obiciuntur aut obici possunt, et quaequam sit uniuscuiusque veritas. Non propterea tamen Deus dicitur formare seu fingere, sicut nos, tale genus entium. Etsi enim in modo, quo haec entia a nobis cognoscuntur, non est falsitas, ut supra monuimus, est tamen imperfectus concipiendi modus: omnis vero imperfectio longissime abest a cognitione divina.

449. **An et quo pacto obiectum Logicae dicatur ens rationis.** — Inferitur denique solutio quaestiunculae, quam plures et veteribus, nimio sane dispendio temporis, late pertractarunt, utrum videlicet ens rationis, de quo haecenus, asserendum sit tamquam obiectum proprium alicuius scientiae, Logicae praesertim. Iam age, ut initio diximus [3], obiectum Logicae sunt ipsi actus mentis, prout dirigendi ad verum. Hic autem ordo dupliciter spectari potest, *proxime* videlicet et *remote*. Proxime quidem consideratur in ipsis actibus mentis, qui ordinantur, remote autem in ipsis obiectis horum actuum, pro eo quantum sunt ordinate cogitabilia. Si primo modo inspicatur, patet non posse dici ens rationis, quatenus accipitur pro ente ficto, sed solum in prima, vel etiam altera acceptione huius vocis, ut nimirum ens rationis dicitur quod *effective* est a ratione vel ei *inhaeret*. Si vero alio modo sumitur, est quidem denominatio extrinseca ab actu rationis proveniens, qualis est *esse cognitum*, ad quam revocantur denominationes definiti, subiecti, praedicati, generis, aliaeque consimiles, quae in Logica considerantur; sed ut paulo supra exposuimus [447], non opus est ut talis denominatio concipiatur per modum entis rationis proprie dicti. Hinc recte Suarez. "Cum entia rationis non sint vera entia sed quasi umbrae entium, non sunt per se intelligibilia, sed per aliquam analogiam et coniunctionem ad vera entia, et ideo *nec etiam sunt per se scibilia*, nec datur scientia, quae per se primo propter illa solum cognoscenda sit instituta. Quod enim hoc aliqui tribuunt

Dialecticae, *error dialecticus est*. Nam finis illius scientiae non est, nisi dirigere et ad artem revocare rationales hominis operationes, quae non sunt entia rationis, de quibus nunc agimus, sed entia realia. Itaque nullus artifex, nullave scientia per se primo intendit entium rationis cognitionem, sed haec tradere debet, quatenus cum cognitione alicuius entis realis coniuncta est; quomodo physicus agit de privatione, quae coniuncta est cum materia ad formam, et agit de vacuo per comparisonem ad locum et sic de aliis." (*Disp. cit.* initio). Neque tali doctrinae contrarius est Angelicus sic inquiens. "Ens est duplex, ens scilicet rationis, et ens naturae. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus, quas ratio advenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, et similium, quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi ens rationis est proprium subiectum Logicae." (*1. Metaph. lect. 4.*) Ut enim patet ex ipsis verbis recitatis, S. Doctor sub nomine entis rationis comprehendit denominationes in obiecto derivatas ex eo quod a ratione cognoscantur vel se cognoscantur. Quare hic non opponitur ens reale enti ficto, sed *ens naturae*, sive, ut alibi passim loquitur, *ens extra animam*, contradistinguitur ab eo quod *pendet ex actu rationis*; et tales profecto sunt denominationes subiecti, praedicati, definiti, aliaeque his consimiles, quae Logicae considerationi subiciuntur. Porro etsi denominationes huiusmodi, ex imperfecto modo cognoscendi humanae mentis, possunt concipi per modum qualitatis respectivae in obiectis inhaerentis, et sic fingi per modum entis, id tamen minime requiritur, nec est de perfectione artis seu scientiae Logicae, ut sic concipiantur. Quare haec scientia perfectissime est in Deo, quin tamen ullum ens rationis a divina mente fingatur, ut supra [448] declaravimus.